

Quae est secunda diuisio peccati?

Secunda diuisio peccati tantum ad renatos pertinet. Nam in non renatis omnia peccata originalia et actualia sunt mortalia, sed in renatis alia peccata sunt mortalia seu regnantia, alia venialia seu non regnantia. Peccatum mortale in renatis est cum is, qui fuerat renatus, assentitur [45:] errori in fundamento aut labitur contra conscientiam. Tunc enim amittit gratiam, Spiritum sanctum et fidem. Peccatum non regnans, quod nominatur veniale, est in renatis in hac vita malum originis et dubitationes et incendia malorum affectuum, quibus tamen repugnant renati, neruant contra conscientiam et dolent propter has sordes et credunt se propter mediatorem Deo placere, tegi has <sup>5</sup> sordes et gratiam exuberare supra peccatum.

Regulae duae de decalogo.

I. Semper prima tabula anteferenda est secundae tabulae, quia primus est ordo hominis ad Deum et gloria Dei anteferenda est omnibus rebus humanis.

II. Primum praeceptum includendum est caeteris omnibus. Nam propter Deum <sup>15</sup> praestanda est obedientia in omnibus praeceptis. Et contra in violatione [46:] vniuscuiusque praecepti inest contemptus Dei in primo praecepto.